lætam, quàm iucundam, quàm liberam semper possiderent
Eusebius námq cucullam hanc indutus, ueluti per ludibri
um mundum in se mortuum, carnemq mortificatam lug
ebat, non secus ac mariti quidam qui coniugum funera fictis
Crocodili lachrimis prosequuntur, ut pote quas libentius in
tumulo, quàm in thalamo videant. Cæterum quas ille præ
terea virtutes, quos fructus, quæ deniq bona dum in hoc
cænobio, in hac Domini vinea fidelissimè operaretur,
produxerit, quis tandem est eò usq disertus, qui non poti
us desertus ab omni facundia in tantarum virtutū
concursu videatur? nihil quidem litterarum monumentis
notatum proferre possum, asserere certi nihil, omnia sub
traxit vel invida humilitas, vel illa maiorum nostrorum
simplicitas, ut ut sit aures modò animumq mihi accomodet
is Aud: dicetis ipsi continuò veriora ex Tripode Apollinis
oracula nunquam vos fuisse habituros, quis enim oro obtestorq
vos Aud: tam imprudens erit, qui non tanquam Divini Plat
onis dicta certissima teneat, Eusebium non nisi post innumeros
labores, post grauissima certamina, conflictus, et prælia, post
virtutum omnium largissimum commeatum, post præclarissima de
hostibus erecta trophæa, ex hoc cænobio, ex fraterna acie be
ne instructum doctumq etiam sine consolatione alterius pugnare
ad singularem pugnam eremi secessisse, et quidem cum
licentia abbatis sui Hartmuti secessisse? et venerandum pro
phetiæ donum quod etiam sanctissimis quibusq et in omni
virtute profectissimis denegatus fuit, putatisne Eusebio

Licenza: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. 324v – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/it/zbz/D0147/324v)